Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2709
Quelle:
Copyright:

illis ad exemplum Praecessorum *Ladislai* Regis *Bob.* et *Johannis* Marchionis *Brandeb.* facultatem dat emendorum quorundam Censuum.

DCCXLVIII.

946 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XVI. Folior. 219. 8. manu, ut videtur, *Wenceslai Rossii Presoroxini*, alias *Chrudimensis*, gnavi illius Sacerdotis Bohemi, cujus tot Κτηματα per hujus *Catalogi* decursum indicavimus, exaratus constat varia supellectili homiletica sacris dictionibus per anni dominicos et festos dies opportuna, cui immorari operae pretium non foret.

DCCXLIX.

373 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc tantum 5. f. luculente scriptus, olim *monachorum sancte marie in hymerode Treuiren. dioc. cistercien. ordinis*, ut *fol.* 3. p. 2. notatur, incipit a Fragmento *Admonitionis* illius *ad Filium spiritualem*, quae olim *Basilio* M. tributa, verum graece nondum reperta, ab Editoribus *Opp. Maurianis* rejecta est in *append.* T. II. *Paris.* 1722. p. 706. f. et etiam ad calcem *Codicis Regular. Lucae Holstenii Paris.* 1663. 4. p. 20. extat. Orditur nobis a verbis: *continere festinat. Ambulans semper tumens ut uter uacuus et sicut nauis absque gubernatore* &c. et abrumpitur in his: *ne deseras gratias agere cum perfeceris illud.* Nec parum ab Editis variat. Vide *Cod.* DCXXXVII. et alias.

II. *fol.* 1. p. 2. sequitur: *Sermo Fulberti Episcopi in Natiuitate Sancte Marie.* Est is *Fulbertus*, sive, ut scribit *Anonymus Mellic.* c. 93. *Folbertus* e Praeceptore Scholae *Carnotensis*, in qua et *Berengarium Turonens.* erudiit, Cancellarius et Episcopus loci, qui an. 1028. in vivis supremum habuit. Opuscula ejus a *Carolo de Villiers Paris.* 1608. 8. edita inde in T. XVIII. *Bibl. PP. Lugd.* ad p. 1. migravere. Haec inter *Sermo* noster p. 38. legitur. Meminit ejus singillatim *Mellicensis supracit.* quin *Villerius* ex veteri *Annali Abbatiae S. Petri in Valle Carnotensi* inter alia haec verba recitat: *Multa scripta fecit* (Fulbertus) *ad laudem Virginis gloriosae et inter caetera illam legendam quae legitur in nativitate ejusdem quae incipit: Approbatae consuetudinis.* Et re ipsa *Sermo* hic in *Cod.* nostro in VIII. *Lectiones* distribuitur. Initium est: *Approbatę consuetudinis est apud Christianos Sanctorum patrum dies natalitios obseruare diligenter* &c. Verum, cum, ut dixi, in *Lectiones* distributus fit, in iis verbis abrumpitur: *nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Iuvat tamen vel eo usque indicare, quae ad genuinam Textus rationem *Codex* subpeditet. Omittunt Edita: *Ipsa conteret caput tuum*, quae particula tamen necessaria est; sequitur enim: *Quid est fratres in hoc loco serpentis caput conterere.* Prave habent: *sapientia dicit usque quaque malum*

pro